

46.

SOLEMNIA IN AVGVRALIA
VIRI PRAENOBILISSIMI ET DOCTISSIMI,
MEDICINAE CANDIDATI DIGNISSMI
CHRISTIANI LVDOVICI WILLIGH
RUGIANI,
DISSERTATIONE PVBLICA

Q V A
OBSERVATIONES BOTANICO MEDICAS

S I S T E T

D. IX. AVG. A. R. S. MDCCXLVII.

HABENDA

PRAEMISSIS QVIBVS DAM

DE PHOSPHORO VRINARIO

INDICIT

ORDINIS MEDICI DECANVS

IO. GOTHOFREDVS BRENDELIVS

PHIL. ET MED. D. HVIVSQVE P. P. O.



G O T T I N G A E.
APVD. ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

CHRISTIANI PADOACI MITTELI
URGIANI
DISSESTATIONE BARTRICIA
1.
MEDICINAE CUNDIVITI DISCUSSIONE
ALVI BREVISERUM ET DOCTISSIMUM

Le^{A V D}ectissimi commentariolis argumenti, a doctissimo Candidato speciminis inauguralis in usum propositis, analectorum aliquid e re chemica, de phosphoro, quem lotium humatum fundit, adiiciam. Ac ille quidem phosphorus iure quodam suo, praeeunte STAHLIO ^{a)} vocabitur analogum sulphuri vulgari corpus. Liceat autem paucis rimari, si exploratum dare fas non est, tum unde acidum illud, tum unde inflammabile principium, quae sunt in phosphoro utraque, videantur arcessenda. Memini, quae de accenso phosphoro tradit STAHLIYS ^{b)}, lecta quondam sic imitari, ut praeter liquorem acidum, quem consumtus extinctusque relinquit phosphorus, excipere etiam illum possem, quem ipso dispergi sub incendio vel nidor doceere videbatur. Visus ergo vulgaribus ad parandum spiritum sulphuris per campanam artificii, orbe saltem murrhino percalefacto, & super tripode ita collocato, ne aquam contingeret, & subdi prunae possent, quae aquabile sparsi per frusta phosphori accelerarent incendium: collectis omnibus, depulsaque retorto e vasculo nimia aqua, acidum liquam obtinui, quod adiectum in prom-

a) *Exper. Observ. & Animadu. CCC. Chym. & Phys.* p. 90. & 138.

b) L. c. p. 139.

tu forte collocato argento, spiritu nitri soluto, deturba-
bat quiddam, argento quo corneum vocant, tam simi-
le, ac ovum ovo. Vnde salis vesici sive cibarii acidum
illud fuisse, nihilo incertius videbatur, quam si aquam
regiam produxisset.

§. II.

Alterum in hanc sententiam argumentum hoc esse
crediderim. Residuum, sive caput mortuum spiritus
urinae, aut illam materiem, quam putrefacta urina exhi-
beret, ferreo lebete sic cocta, ut spumarum minuenda-
rum causa per vices urinam subinde affuderis, si oleo vi-
trioli paulatim imbuamus, ignique rufus committa-
mus: spiritu potiri licet acido, qui manifesta salis vesici
progenies est, acido vitrioli non alia ratione expulsa, az-
spiritum salis nitrique idem acidum expellit. Fecem si-
ve caput mortuum, carbonum pulvere affatim remix-
tum, igne vehementissimo diu torsi, frustra expectato
phosphoro. Extincto igne, partem huius massae, quae
hepat quoddam sulphuris olet, ex aqua coxi, adiectoque
crystallorum tartari decocto, lac sulphuris obtinui.
Credibile est, in ista spiritus acidi urinae fece, delitusse
alcali salis cibarii, arrepto acido vitrioli versum in sal mi-
rabile Glauberianum, adiectoque carbonum pulvere, lac
sulphuris non alia ratione productum fuisse, ac e sale sal-
so fixo quolibet, dummodo acidum vitrioli foveat, ad-
dito carbonum pulvere, prodire lac sulphuris idem, a
STAHLIO dudum demonstratum est. Ex his fortasse col-
ligi potest, τὸν ἀσύρτεν εἶναι, phosphorum sine acido salis
cibarii expectare, neque probari posse consilium, eluen-
di e fece spiritus urinae salis, ^{a)} ne vas scilicet retortum
ri-

^{a)} Roth, *Elem. Chem. Germ.*, p. m. 202.

rimas agat. Id enim non ob sal, sed ob adiectam arenam contingit, quae ignis summa vi cum sale in vitrum acta, retortam perforat. Qui casus timeri nequit, si omissa arena plus chalcanthi ulti addas: unde expulso salis acido, & oleofis carbonum urinaeque partibus in phosphorum unito, miscela salis mox resolvitur.

§. III.

Inflammabile igitur phosphori principium duplici origine videtur afferri. Altera est oleum urinae foetidum, altera oleum foetidum sive empyreumaticum carbonum. Illud quidem inde patet, quod residuum urinae putridae, ad spissam mellaginem, minimeque ad sicciam massam, coctae, multo sit ad parandum phosphorum utilius, quam sex spiritus urinae siccissima: haec enim omni prope oleo orba est, multoque maiorem vim pulveris carbonum desiderat. Ideoque ROTHIVS, oleum foetidum urinae adiicendum rursus, quam rectissime, si quid perspicio, suscit. Opportune hic succurrit, dum aliquando urinae coctae in usum exprimendi e fece phosphori, consilium fecutus KVNCKELIANVM ^{e)}, compescendarum spumarum causa, butyri sebique plurimum adiecissem, reliqua vero non sine multo pulvere carbonum & chalcantho ustō, omissa arena, igni commissem: plus, quam sperabam, phosphori prodiisse.

§. IV.

Ab oleo carbonum empyreumatico non contemnendam partem inflammabilis in phosphoro principii repetendam esse, experimenta ipsa loquuntur. Praeclare HOFMANNVS ^{f)}: *Memorabile est, inquit, phosphorum illum Anglicum solidum, lucidissimum, non ianta copia praeparari posse, nisi urinae purae factae & inspissatae pulvis carbonum addatur.* Ex qui-

^{e)} *Laborat. Chem.* p. 4. cap. 7. p. m. 736.

^{f)} *Obs. Phys. Chem. Select. L. III. Obs. 13. p. m. 334.*

quibus probabile etiam fit, si praesertim sulphuris e pulvere carbonum, & sale medio, acidum vitrioli habente, artificialis quidem, at nativo plane aenuli, meminisse placet; utque metallum sine carbonibus producatur e gleba vix ullum: inflammabile illud, quod corpora fovent animalium, quodque vegetabilibus fossilibusque ineft, ultimas origines habere omnino communes.

§ V.

An aliiquid salis volatilis, in fece spiritus urinae superstitis, & fortassis ab acido salis cibarii ibi detenti, transeat in phosphorum: equidem non plane negaverim. Magna enim vis producitur ex illa fece potest, praesertim sisal tartari adieceris. Compertumque habeo, auctore B. STEIGER-TAHLIO, Regis nostri Augustissimi quondam Archiatro, summa & eruditione & humanitate Viro, cuius mihi venerabilis est memoria, HANCITIVM, Chemicum Londonensem celeberrimum, Cothena Anhaltinorum oriundum, feci spiritus urinae, praeter chalcanthum ustum & pulverem carbonum, adiecissem subinde sal ammoniacum, magnam phosphori elegantissimi vim sic adeptum. Potuit sal ammoniacum quantitatem acidi salis cibarii auxisse, ad plus imbuendum inflammabilis principii: attenuam eadem opera sal volatile immisceri debuisse, valde probabile est. Idque officio fortasse suo & interventu, suutilissimum salis vesci acidum oleo utrique subtilissimo & conciliare, & in phosphorum ut compingi queant, efficere, non sine veri specie videtur.

An sine chalcantho ustio, aut sine alumine, quod ne spumis turbas crudum det, ustum nonnihil, at maiori quantitate addi non abs re erit, obtineri phosphorus posse, dubitare liceat. Sine arena produci posse, pro mea mediocri compertum habeo experientia, accepique quondam ab amico, se solo adiecto carbonum pulvere, phosphoro potum, at parva quantitate: usum autem carbonibus ligni querni. Faginos carbones solos nihil producere, irritus me labor aliquando docuit. Probabile dixerim, spiritum acidum ligni querni, qui sane acidi vitriolici indolem habet, quasdam hic sibi partes, chalcanthi loco vendicasse. Nam, nisi plane fallor, acido sulphuris vulgaris, vel ex chalcantho ustio, vel ex alumine opus est, ad acidum salis vesici & hic expellendum: etsi ipsa in hac noctiluca acidum vel chalcanthi, vel aluminiis ea de causa esse, ne cum BOERHAAVIO g) credam, venia, ut opinor, dabitur. Ceterum operae pretium foret, acidos vegetabilium spiritus penitus se etari, compositoque ex illis sale medo cum lixiviali quodam, explorare, quinam ex illis cum carbonibus hepar sulphuris daturi sint, qui non: & horum deinde indeolem aliis modis rimari. Est enim non plane nulla suspieandi causa, omnes aut acidum ad sulphuris, aut salis cibarii, levibus discriminibus, & quae genus, ut aiunt, non mutent, referri posse.

Venio

g) *Elem. Chem., P. II, Proc. 102. p. m. 327.*

Venio ad Candidatum multo dignissimum, Virum
Praenobilissimum,

CHRISTIANVM L VDOVICVM
WILLIG, *Rugianum,*


qui natales suos, omnemque exactae in literis ratione-
vitae, quatuor iam ornatam speciminibus academicis, his
Ipse complexus est:

Natus sum, inquit, anno MDCCXVIII. patre FRIDERICO CHRIS-
TOPHORO, Pastore tunc Trentae in insula Rugia, nunc Synodi
Loizensis in Pomerania Suecia praeposito. Litteris & scientiis qua-
rum praeparant primum incubui in academia Gryphiswaldensi,
Praeceptoribus usus Viris Excellentissimis & Celeberrimiis H. WEST-
PHAL, Histor. Prof. S. A. SCHWARZ, Prof. Eloq. L. STENZLER,
Log. & Met. Prof. S. WHAGEEN & A. MAYER Matheos Pro-
fessoribus, P. AHLWARD, ord. phil. Adj. Medicinae quoque studio
operam ibi dedi, usus institutionibus Excellentissimorum & Celeberrimi-
orum Virorum J. LEMKEN, & C. S. SCHEFFEL. Quatuor por-
ro in eadem academia disputationes publice defendi 1.] de *Micropar-*
macomania, Praefide Cel. D. SCHEFFEL, 2.] *de altero telluris nostrae*
satellite, Praefide Exc. A. MAYER. 3.] *De Auditu*, Praefide Cl.
D. PYL. 4.) *de Vulneri intinti colo*, praefide Cl. A. WEST-
PHAL, ord. med. Adj. Inde Berolinum adii, ibique ducibus Illustribus
& excellentissimis Viris BVDDEO & CASSEBOHMIO cadavera hu-
mana secui, ac celeberrimorum horum anatomicorum demonstratio-
nibus interfui, Cl. Prof. PALLAS in Chirurgicis audivi, Numerosos
demum ibi aegrotas in nosodochio charitatis vidi. His ita gestis ce-
leberrimam GEORGIAM AUGUSTAM adii, ibique illustres & Ex-
cellentissimos Professores in haec academia per quatuor
fere annos audivi, GE. GOTTL. RICHTER, ALB. HALLER,
JO. ANDR. SEGNER, Patronos ac Praeceptores perpetua pietate
& animo gratissimo colendos. Duo hinc itinera feci herbarum cau-
sa, duce Illustri HALLERO, alterum per silvam Hercynicam in mon-
tes, Bructerum, Kifhauser & Altenstolbergi. Alterum in ericeta
Cellensis. Ne vero & clinicum exercitium deesset, Exc. D. D. PAPE,
Principatus & civitatis Gottingensis Physicus, Celeberrimus Fautor
ac Patronus meus, temper mihi suspiciendus, ad numerosos aegrotos
me deduxit.

Ac

Ac tantis ad eruditionem praesidiis usus, cultioris medicinae spatia, indefesso neque impedito itinere traduxit. Meas etiam addidit praelctiones publicas privatasque, iisque sedulus interfuit, propiusque perspectus, inde a duobus circiter annis ad lectulos aegrotantium internuncius mihi fuit. Appellato Collegio nostro ad examen admissus, docte respondit, datisque eruditionis suae documentis elegantissimis, et praelare liberata expectatione, suffragia omnium de conferendis Doctoris insignibus & privilegiis sibi conciliavit. Reliquum est, ut in luce & celebritate Academiae virium exemplum pari virtute prodat. Quod quidem geretur duce Viro Illustri, ALBERTO HALLERO, Phil. & Med. D. Regis nostri Augustissimi Consilio Aulico & Architro, Anat. Botan. & Chirurg. Professore Publico Ordinario, Suprem. Reip. Bernensis Senatus Ducentum viro, Societatum Regiarum Britannicae & Suecicae, Sodali, quo Praefide dissertationem, quam conscripsit, inauguralem, *observationes Medico-Practicas & Botanicas* exhibentem defendet, praemissa lectione cursoria de *fistula lacrymali*. Hanc panegyrin praesentia sua splendidissima & honorificentissima ornare velint MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, SENATORII VRBIS PROCERES, DOCTORES OMNIVM ORDINVM, CIVES GENEROSISSIMI & NOBILISSIMI, quo decet cultu studioque, maiorem in modum rogo quaeisque. P. P. in Academia Georgia Augosto, Sigillo ordinis Medicis, d. ix. Aug. A. R. S. MDCCXLVII.

(L, S.)



Nr. 19 als Titel nicht zu
identifizieren!

01 A 6537


f


TA→OL

nur Stck. 12 bis her verknüpft



WDR





46

46

SOLEMNIA IN AVGVRALIA
VIRI PRAENOBILISSIMI ET DOCTISSIMI,
MEDICINAE CANDIDATI DIGNISSMI
CHRISTIANI LVDOVICI WILLIGH
RUGIANI,
DISSERTATIONE PVBLICA

Q V A

OBSERVATIONES BOTANICO MEDICAS

S I S T E T

D. IX. AVG. A. R. S. MDCCXLVII.

HABENDA

PRAEMISSIS QVIBVS DAM

DE PHOSPHORO VRINARIO

INDICIT

ORDINIS MEDICI DECANVS

IO. GOTHOFREDVS BRENDELIVS

PHIL. ET MED. D. HVINSQVE P. P. O.



G O T T I N G A E,

APVD. ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.